

drahi dominicis & festiuis diebus intersit, Instruccioni quoque scolarium quibus Magister Andreas ecclesie nostre prepositus aliquales pro sustentacione redditus assignauerat diligenter & gratis intendet, & in curia predictorum scolarium per predictum magistrum .A. collata & assignata eisdem residenciam faciat, & ad dispensacionem expensarum & reddituum eorum ipsum procuratorem & prouisorem instituimus, & institutum sub fidelitatis iuramento obligatum esse volumus, ad hec fideliter faciendum. Ordinamus insuper ut pauperes & omnes chorum frequentantes & manentes in domibus canonicorum qui ab eo instrui voluerint gratis docere similiter teneatur, si vero dictus prouisor institutus a rectore & quicumque pro tempore instituendus in premissis seu in aliquo premissorum negligens fuerit & per predictum rectorem legitime monitus se non correxerit uel emendauerit, beneficio seu prebenda predicta sentencialiter priuetur per ipsum & conferatur alteri qui omnia & singula premissa voluerit potuerit, promiserit fideliter adimplere. Vt autem hec nostra ordinacio constare valeat tam posteris quam modernis ipsam nostro & nostri capituli sigillis facimus communiri. Datum vpsalie Anno dominj. Millesimo. CC°. Nonagesimo primo, Infra octavas pasce.

Häraf finnas 2:ne Exemplar: Under det ena 2:ne sönderbrutna sigill; från det andra sigillen bortfallne, och blott en remsa kvar.

På baksidan: Johannis electi de scolaribus studentibus parisiis & doctoribus.

B. 2. 120, 121 har till öfverskrift: De provinciis studencium parisiis confirmatis per fratrem Johannem Archiepiscopum.

1045.

1291 d. 23—28 Apr.

Utvalde Ärke-Biskopen JOHANS i Upsala stadfastelse på Biskopstionden af Gestrikland och Tierp till det af Domprosten Andreas för Studerande från Upsala stift inrättade communitet i Paris; jemte serskildta stadgar rörande dessa Studerandes seder och förhållande, rättigheter och skyldigheter.

A. 7. 1. 26.

Omnibus presentes litteras inspecturis, frater JOHANNES miseracione diuina Electus vpsalensis ecclesie, Totumque Capitulum eiusdem ecclesie, Saltem in domino sempiternam. Quoniam Parisiense studium, uelud fertilitatis ager, fructus uberes proferens, in quo grana sciencie colliguntur, producit viros virtutum uarietate fecundos, quorum graciosa fecunditas, in alios affluenter effunditur, paruos magnificans, rudes erudiens, inscios instruens, & multos efficiens virtuosos, hec diligenti consideracione aduertens, venerabilis vir Magister Andreas, Ecclesie nostre prepositus, scolaribus de nostra vpsalensi dyocesi, in predicto studio, adquisicioni bonitatis discipline & sciencie, intendere cupientibus, de bonis sibi a deo collatis, domum quandam in villa parisiensi, in vico serpentum, suam, diuine pietatis ac ecclesiastice vti-

litatis intuitu, contulit perpetuo possidendam. In qua domo de nostra dyocesi, nunc & in posterum degentibus, decimas episcopales, de Gestrikaland & Tiarp assignauimus, sub forma que in instrumento super hoc specialiter confecto continetur expresse. Vt autem scolares inibi conmorantes, uel in posterum moraturi, ordinacius, quiecius & commodius ualeant commanere, deliberacione prouida cum Capitulo nostro prehabita, infra notata, uel subscripta statuta fecimus & ordinauimus, a predictis scolaribus, & eorum sociis semper inuiolabiliter obseruanda. In primis quilibet intraturus domum predictam promittat per iuramentum prestita fide in manibus procuratoris seu procuratorum, presente principali & sociis domus, quod statuta ad informacionem seu instructionem predictae societatis, per nos facta, fideliter obseruabit, ipsa ex contemptu seu deliberata malicia, nullatenus transgressurus. Item quod rectori predictorum paruulorum, residenti apud vpsaliam, cui cura ipsorum principalior atque regimen per capitulum est commissum. necnon procuratori seu procuratoribus ipsorum parisiis existentium, reuerenciam & obedienciam quantum ad statutorum obseruanciam exhibebit. Item quod eandem domum exibat & societatem sine contradictione & reclamacione aliqua quancumque a procuratore domus, ut exeat monitus fuerit. Item quod racione remocionis predictae dampnum dicte domus, seu alicuius uel aliquorum manentium ibidem, neque per se neque per alium procurabit. Item quod non procurabit per preces aliquas metum uel displicenciam inducentes, se iterato recipi in domo eadem. sed procuratoris graciā humiliter per omnia super hiis expectabit. Item promittat per iuramentum ut supra, quod stabit iudicio seu iuridicioni rectoris puerorum ipsius domus, super omnibus delictis, & quibuslibet commissis que ipsum commorantem in predicta societate committere seu delinquere contingat, ad quemcumque eciam statum ipsum fortuna deduxerit. Item promittat ut supra, quod officium procuratoris, si a rectore, & principalatus, si a procuratore iniunctum aut impositum sibi fuerit, recipiat & peragat sine omni contradictione. & quod promouebit utilitatem dicte societatis necnon & paruulorum pauperum simul commorantium vpsalie ad quemcumque statum ipsum deuenire contingat. Item quilibet intraturus domum predictam promittat bona fide quod omni die horas dicat de beata uirgine. ita tamen quod ferialibus diebus priuatim per se uel cum socio, diebus uero festiuis, simul omnes dicant in communi. & adeo tempestiue, quod postea ire poterunt ad sermonem, ad quem audiendum ipsos obligatos esse uolumus per suam promissionem, nisi de licencia principali hec aliquando omittant. Accedentes ad mensam, benedictionem premittant & in diebus festiuis lectionem habeant & quamdiu comedunt submisce loquantur. Comestione, facta gracias dicant.

Post

Post completorium autem, a. Salve Regina dicatur in sabbatis & in vigiliis sanctorum seu festiuitatibus aliis, ab omnibus simul cum nota. In ferialibus uero diebus legendo dicantur cum collecta. Concede nos famulos. & subiungatur Psalmus continue, ad te leuauimus cum Collectis. Pretende domine fidelibus tuis. Deus a quo sacra desideria. Omnipotens sempiternus deus qui uiuorum dominaris. Item P. De profundis cum collectis. Deus uenie largitor. Misere... animabus benefactorum nostrorum. & fidelium deus. Item statuimus & ordinamus quod nullus in Camera uel alibi seorsum comedat, nisi infirmus fuerit uel ita pauper quod expensas communes facere nequit, & tunc de licencia principalis domus seorsum comedere poterit. Nullus locum sibi in domo assignatum per procuratorem mutet absque sui licencia. Contrarium faciens ad primum monitus redeat. Transgressor huius statuti, quatuor denarios parisienses communitati persoluat. Item statuimus, ut nullus inuentionem comestionis, seu potacionis in cameris faciat. sed neque ab extra uenientibus recipere liceat, peregrinos nullus inducat sine licencia procuratoris. Contrarium faciens, in quatuor den. puniatur. Item statuimus ut in domo omnes latinum loquantur nisi forsitan apud seruientem uel aduenientem aliunde, opus sit alicui alio idiomate uti. Hec omittens, si tercio per principalem monitus non destiterit, qualibet uice soluat obolum communitati. In tabula computum septimanatim non audiant sed prepositus qui redditurus est computum cum prepositis precedentis & subsequentis septimane, seorsum ipsum faciat, & factum sociis referat. Item statuimus ut nullus in domo clamorosas locuciones exerceat, aut strepitum faciat unde socii possint impediri. Nullus in ferialibus diebus in domo uel gerdino canteat. Nullus scacorum, taxillorum, uel aliquo alio genere ludorum quolibet tempore in domo uel gerdino uacare presumat. Nullus canes uel aues habeat. Contrarium faciens in denario puniatur. & si desistere noluerit, grauius puniatur ad arbitrium procuratoris. Item statuimus ut nullus uerba obprobrosa, contumeliosa, seu contenciosa, in domo uel extra socio suo dicat. contrarium faciens, & coram principali conuictus soluat duos solidos communitati & humiliationem faciat seu emendam iniuriam passo, ad arbitrium procuratoris & si sepius deliquerit & emendare se noluerit, a societate expellatur. Item statuimus, ut nullus in socium manus iniciat uolentis. Si quis hec fecerit, domum teneatur statim exire, nec redeat antequam absolutus fuerit & leso secundum arbitrium procuratoris, in presencia sociorum domus condigne satisfecerit, & insuper si redierit, communitati persoluat tres solidos parisienses. Item statuimus quod si quisquam domum in aliquo dampnificauerit, teneatur ad restitutionem dampni ad arbitrium rectoris uel principalis, & communitati pro offensa .X. solidos parisienses persoluat.

Item statuimus ut nullus extra domum post ignitegium seu coverfy, exeat siue extra maneat sine causa rationabili. uel licencia speciali principalis. Transgressor in denario parisiensi, singulis uicibus puniatur. Item statuimus ut quilibet res communitatis seu bona tamquam reseruet, & si quis illa male tractari uiderit, hec teneatur statim procuratori domus intimare. Item statuimus quod nullus debitum contrahere audeat ultra quatuor solidos parisienses, nisi petita licencia procuratoris & optenta. Transgressor huius a consorcio excludatur, donec satisfecerit ad arbitrium procuratoris. Item statuimus, ut si quem sociorum predictorum infirmari contigerit, statuatur aliquis per principalem de Societate singulis diebus, qui infirmi curam sollicitam gerat. Cum autem aliquis morti appropinquauerit, omnes socij quibuscumque aliis negociis postpositis, laborantis transitum, domino deuote commendent, super mortuum uero omnes uigilent, & psalterium legant, et studiose defuncti curam gerant, donec corpus ecclesiastice traditum fuerit sepulture. Item statuimus & ordinamus, quod qui in domo predictae societatis constituitur principalis, promittat in manus procuratoris cum iuramento quod curam & sollicitudinem personarum & rerum diligentem gerat atque habeat, libros & res communitatis non distrahat, nec distrahi permittat seu extra domum concedi absque licencia procuratoris. Defectus & insolencias delinquentium, cum opus fuerit, procuratori referat, Capitulum semel teneat in singulis septimanis, & delinquentes in premissis secundum prenotatas penas puniat, atque moniciones faciat quas pro utilitate & honestate communitatis, nouerit expedire. Procurator uero quater in anno capitulum cum ipsis teneat, sepius si sibi uisum fuerit expedire. Item statuimus ut cum capitulum teneatur a procuratore seu principali, nullus ibi loquatur, nisi qui acusat & qui acusatur, nisi de licencia presidentis. nec quis alium accuset causa vindictae, sed solum causa correctionis. Transgressor singulis uicibus in obolo puniatur. Item statuimus ut ultra duodecim personas, non assumantur aliqui ad societatem predictam, nisi de speciali mandato rectoris ipsorum. Verum quia equum & rationi consentaneum esse dinoscitur, ut quilibet recepti beneficij memor existat, ideo uolumus singulos societatis predictae obligari per suam promissionem quam faciant domum intrando. ut cum dominus ipsos ad "fortune" pingujoris, statum fecerit deuenire, quilibet eorum cum beneficium ecclesiasticum fuerit assecutus, predicti societati subsidia caritatis rependat, sub tali modo & forma ut qui una cum hospicio, lignis, potagio, lectisterniis, & utensilibus domus, ultra duodecim denariorum subuencionem septimanatim receperat, a prebenda dictis studentibus assignata, ad totidem annos, quot predictum subsidium in domo predicta habuerat, quintam decimam partem adepti beneficij ecclesiastici, primis annis in subsidium predictae communitatis persoluat. Qui uero. duodecim tantum dena-

riorum subsidium receperat, tricesimam partem reddituum suorum modo predicto solvere teneatur. Illi uero studentes, qui tantum cameram, ligna, potagium, lectisternia, habuerant in domo predicta, assequuti beneficium ecclesiasticum, dictam communitatem respiciant secundum arbitrium discrecionis, ipsis a deo collate Subsidium uero supradictum, mittatur vpsaliam rectori predictorum puerorum, qui illud ad usus ipsorum conuertet atque dispensabit. Supradicta statuta semel in singulis septimanis coram sociis in communi legantur, ne quisquam propter ignoranciam uel obliuionem ab eorum obseruancia se excusare possit. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum anno domini. M°.CC°. nonagesimo Primo. infra octav. pasche.

Sigillen: N:o 1 mest bortfallet, remsan qvar; af N:o 2 finnes ett stycke.

1046.

1291 d. 6 Maj.

Westerås.

HOLMGER ULFS SONS bref rörande försäljning af en wret vid Westerås.

A. 6. 2. 1.

Omnibus presentes litteras uisuris uel auditoris, HOLMGERUS VLPH SUN, Salutem in domino sempiternam Propter varietatem successionis humane quantumcumque rite gesta, calumpnie sepius subiacerent, nisi autenticarum litterarum. testimonio firmarentur, & idcirco contra obliuionis nubilum, In hiis precipue, que stabilitatis robor habitura sunt, Hoc remedium humana industria adinuenit. Innotescat igitur tam presentibus quam futuris . . . iuxta Westraarus agrum vnum. separatum ab aliis qui vulgariter dicitur wretir ad me iure *hereditario* deuolutum Sunonis mercatoris heredibus, prout inter nos conuenit pro iusto precio uendidisse *Super hoc* facto, ne impofterum aliquam contingat calumpniam suboriri, In presenti littera sigillo meo, vna cum *sigillis* auunculi mei Domini Anundi, nec non & ciuitatis arusiensis sigillata, fidedignorum adhibita sunt testimonia *subscriptorum*. videlicet. Martini langabenh, Ansalmi, kanuti aurifabrj. henrici crusæ, Arnoldi Johannis carpentarii, Harocii siuichini. Jacobi balteatoris. Tythemanni lethorh arnoldi sartoris. Johannis chilboe, & aliorum plurium ciuium in ciuitate memorata Datum arusie. Anno domini M°.CC°, nonagesimo primo. In die beati Johannis ante portam latinam.

Sigillet N:o 1 finnes; N:o 2, 3 bortfallne.

1047.

1291 d. 16 Maj.

Tveta.

MEGHINTHORS i Tweta testamente och anordning om sin qvarlättna egendom.

A. 4. b. 1.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti Amen. Ego MEGHINTHOR in rwetum memor humane fragilitatis, & quod terminus mortis omnibus sit